non manducet. Qui fugit molam, fugit farinam; qui fugit
laborem, et induſtriam, non fruetur emolumentis; qui nu-
cleum vt aiunt, eſſe vult, nucem frangat, oportet. Optimũ
aiunt obſonium eſſe laborem ſenectuti; laborandum enim eſt
in iuuentute, quo ſenectuti ſuppetat melius, et commodius
viuendi facultas. Porro non inique comparatum eſt, vt de-
ſides, et veternoſi in ſummam ignominiam, atq; pauperta-
tem incurrant, honeſtis autem ſtudijs et laboribus intenti, atque
induſtrij autoritatem, gloriam, atq; diuitias conſequantur;
Hæc virtutis præmia, illa deteſtabilis ignauiæ ſunt ſtipendia.
Quemadmodum enim qui in certaminibus Olympicis non
fortiter pugnaſſent nullis afficiebantur honoribus, et agrico-
læ torpentes otio, et arua inculta relinquentes nil præter
Zizania conſequuntur, ita deſides, et ignaui bonis, opibusque
omnibus deſtituuntur, nam ſi quis apes eò quod aculeatæ ſint
pati nolit, is ne melle et quod optat, fruetur.
In quibus labor nullus, induſtria nulla, ac nulla, vt dicitur cura
eſt, nec ſibi, nec alijs proſunt: tempus ipſum rem ſc. pretioſiſſimam
ſomno, et inertia tranſigunt, quo nequius, aut ſceleſtius in
hac vita eſſe nihil poteſt, nam deſides ignaui, et oſcitantes
an non belluis, ac pecudibus ſimiliores ſunt, quam hominibus?
neq; enim viuunt, ſed ſpiritum ſolummodo trahunt. Otium
enim ſine litteris mors eſt, et viui hominis ſepultura. Pro-
ximæ agnationis ſunt otium, et vitium, multam n. malitiam
docuit otioſitas, vt rectè mater nugarum, et omnium vir-
tutum nouerca eſſe dici poſſit; nullus fructus otij eſt, ſed
diſpendium ſemper maximum. Otium res vna omnium diſci-
plinæ inimiciſſima eſt, et non tantum non inuenit noua,